

Curfusq̄ve jam ſpectat Zodiaci tropicum.
Oriar impoſterum, at non ſublimiùs.
Nec in vitâ redibit hoc pleniluniùm,
Conſilio deerit haſta, voluntati facultas.
Et qui alios doceo vivere,
Miſſis à morte nunciis cognoſcam,
Eruditionem eſſe mortis meditationem.
Impleat vero DEUS votum, quod non denegavit **B. Parenti:**
Idem ſit terminus vitæ, qui laboris,
Et tamdiu præſim auditoribus,
Donec mori ſtantem videant.
Neque ſit, qui gravem me dicat aut inutilem.

Vides, Amice honoratiſſime,
Nuptiis Tuis parum convenire hæc juba.
Sed dum ipſe primum ſenectutis limen attingo,
Lætor in Te Tuiq̄; ſimilibus me rejuveneſcere.
DEUS Eccleſiam curet & Rempublicam:
Non igitur defuturi ſunt, qui de novis utrinque ſurculis
dispiciant.

Ita Sol tuus nunc adſcendit.
Quorſum perveneris omnes vident.
Quos Tibi gradus deſignaverit felicitas,
Illi ominantur, quibus pia Tua ſedulitas conſtat.
Superabis Magiſtrum meritis:
Aſt aliquid in Te ſimul creſcet, quod meum eſt.

Ita major ſum futurus in decremento,
Et à ſegete ſeminis ſtatuetur pretium.
Quamobrem ſit Natalis hic meo-tuus.
Nacſcere literis, quorum ornamento ſtudes:
Nacſcere juvenibus, quorum copia Te cingit.
Nacſcere Familiæ, cujus initium hic facit dies.
Nacſcere Sponſæ, per quam multi ſuos habebunt natales.
Nacſcere Tibi, donec natos videas, quorum natales Tibi
reddant juventutem.

Creſcat laborum moles,
Simul tamen creſcat & virtus & fructus.
Novusq̄ve Solis ortus, novas ſubinde vires portendat.

Acade-